

### §. 11. De ablativo objecti.

Venimus nunc ad objecta. Objecta a nostratibus grammaticis ea substantiva appellantur, quae verbis et adjectivis notionis explendae causa adiunguntur. II nominum casus, quorum terminationibus objecta designantur, obliqui vocari solent. Hoc loco de iis verbis et adjectivis agendum est, quorum objecta ablativo efferuntur. Totum autem hoc ablativorum genus repeti et explicari potest ex iis ablativorum generibus, de quibus hucusque disputatum est.

#### a) De ablativo, qui sequitur verba affectuum.

Ea verba, quae animi perturbati motus describunt, sequitur ablativus objecti, quo indicatur res, quae animum commoverit et perturbaverit. Vide exempla: Adr. 304 cura confectus stupet. ib. 627 ut malis gaudeant. ib. 937 uix sum apud me: ita animus commotus metu, spe, gaudio, mirando hoc tanto tam repentino bono. E. 72 amore ardeo. ib. 392. 393 ain tu, laetast? G. non tam ipso quidem dono, quam abs te datum esse. ib. 977 lingua haeret metu. A. 36 quibus nunc sollicitor rebus! ib. 486 miseram me, differor doloribus. ib. 310 uix sum compos animi, ita ardeo iracundia. ib. 537 homini ilico lacrumae cadunt quasi puero gaudio. ib. 602 quae dolore et miseria tabescit. ib. 612 membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit. Hc. 377 incredibili re atque atroci percitus. ib. 484 ira impulsus. ib. 485 quibus iris impulsus nunc in illam iniquos siem? ib. 562 quam obrem incendor ira. HT. 506 an eo fit, quia re in nostra aut gaudio sumus praepediti nimio aut aegritudine? Ph. 494 gaudebis facto. ib. 564 quam nunc scio esse exanimatam metu. ib. 870 paene hercle exclamari gaudio. ib. 998 delirat miser timore. E. 195 me speres, me te oblectes, mecum tota sis. Hc. 835 non est in rem nostram, ut quisquam amator nuptiis laetetur. A. 409 lacrumo gaudio.

Nemini, opinor, dubium esse potest, quin is ablativus re vera sit causalis: in omnibus enim animi perturbationibus naturae vi et potentia commovemur et impellimur tanta, ut resistere ei saepe nequeamus.

Interdum iisdem his verbis accusativus adiungitur pronominis neutro genere positi, (velut: HT. 404 quid stupes? E. 394 id triumphat. Ph. 1052 uin primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata, et quod niro tuo oculi doleant? Adr. 349 id paues. ib. 362 iam id gaudeo. ib. 376 si id succenseat nunc.); sed quum in genitivi et dativi structura eadem varietas loquendi usu veniat (Adr. 157 id operam do, ut —. ib. 306 quanto satius te id dare operam, qui —. Hc. 199 utin omnes mulieres eadem aequae studeant), et facile intelligitur, nec longa explicatione eget hoc loco, ubi de solo ablativo agitur. Ex eo autem loco: Adr. 946 omnis nos gaudere hoc, Chremes, te credo credere: nihil certi de casu, utrum ablativus sit an accusativus, colligi potest.

#### b) De ablativo cum verbis ludendi posito.

Iis verbis, in quibus inest notio ludendi, subiungitur ablativus objecti, quo instrumentum indicari primo adpectu apparet: A. 739 In vita hominum est quasi quom ludas tesseris. E. 133 ubi uirginem uidet fidibus scire (sc. canere).

c) De ablativo cum verbis quibusdam deponentibus conjuncto.

Difficilius est judicare de verbis *utendi, fungendi, fruendi, potiendi*, quorum in objectis Terentius sibi non constat.

*Abuti* ubique (duo tantum exempla omnino exstant) cum accusativo conjungitur: Ph. 413 itan tandem quaeso, item ubi meretricem abusus sis, mercedem dare lex iubet ei atque amittere? ADr. 5 nam in prologis scribundis operam abutitur.

*Uti* bis cum accusativo: A. 815 mea, quae praeter spem euenere, utantur sine. HT. 133 quod illa aetas ad haec utenda magis idoneast. Alias ubique cum ablativo: ADr. 203 nil circum itione usus es. E. 35 si personis isdem huic uti non licet. Hc. 10. 11 eodem ut iure liceat uti senem, quo iure usus sum adulescentior. ib. 37 uetere in noua (fabula) coepi uti consuetudine. ib. 423 ita usque aduorsa tempestate usi sumus. ib. 764 nostra utere amicitia, ut uoles. Ph. 31 ne simili fortuna utamur atque usi sumus. ib. 79 scisti uti foro. ib. 603 commodius esse opinor duplici spe utier. HT. 132 quem pariter uti his decuit (sc. sumptibus domesticis) aut etiam amplius. ib. 972 si displicebit uita, tum istoc utitor. A. 250 scio te non usum antehac amicitia mea. Ph. 533 si mihi prior tu attuleris, mea lege utar. A. 20 quorum opera in bello, in otio usust. ib. 981 huic aliquid paulum dederis, unde utatur. Huic ablativo praedicatum eodem casu positum adjungitur: HT. 217 ne ille facili me utetur patre. Hc. 837 usa sum, dum illo licitumst, benigno et lepido et comi. ib. 80 ut uti possim causa hac integra.

*Fungi*, quod verbum apud aureae aetatis scriptores cum ablativo fere conjunctum extat, apud Terentium ubique cum accusativo conjunctum invenitur: A. 464 neque boni neque liberalis functus officiumst uiri. HT. 580 hominis frugi et temperantis functus officium. A. 603 et tuom officium fueris functus. HT. 66 proinde quasi nemo sit, ita tute attente illorum officia fungere. Ph. 281 functus adulescentulist officium liberalis.

*Frui* semel cum accusativo: HT. 401 me miserum non licere meo modo ingenium frui? ter cum ablativo: E. 372 tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo. Hc. 842 ne me concilias gaudio hoc falso frui. HT. 149 nec fas esse, ulla me uoluptate hic frui.

*Potiri* ter cum accusativo: A. 871 ille alter sine labore patria potitur commoda. ib. 876 hic potitur gaudia. Ph. 469 nequid mali potiretur. semel cum ablativo: Ph. 830 abduxi mulierem, curauit, propria Phaedria ut poteretur. — Idem fortasse casus cogitatione inserendus est E. 613 „et de istac simul, quo pacto porro possim potiri, consilium uolo capere tecum;“ nam vox *istac* facile animo repetitur.

Si nihil aliud agerem, nisi ut usum Terentianum exponerem, hoc, quod de his verbis dixi, rei susceptae sufficeret: at quum ratio quoque loquendi quaerenda sit, augetur labor iudicandi. Verba passiva et deponentia magna ex parte eadem fuisse antiquis temporibus, ipsa eorum forma probatur. Si igitur scriptores sibi constarent in ablativo ponendo, non dubitarem affirmare, haec verba, de quibus agitur, olim natura sua passiva vel media fuisse, eumque ablativum, qui cum iis conjunctus inueniatur, causalem esse sive instrumentalem aliquo modo probari posse confiderem. *Uti* tum esset *commoda habere* sive *comparare sibi aliqua re*; *frui* esset *fructum habere* vel *delectari aliqua re*; *fungi* esset *occupatum esse aliqua re*; *potiri* esset *augeri, crescere aliqua re*. Nec, si scriptores sibi constarent in accusativo ponendo,

difficile esset causam asserre. Nam aliis verbis, quae eodem aut certe simili sunt sensu atque illa, item accusativus adjungitur. *Uti* tum significaret *adhibere, habere*; frui valeret idem quod *habere, percipere; fungi* esset id, quod *administrare, exercere; potiri* denique esset *occupare, accipere, habere, possidere*. Nunc, quum non sibi constent scriptores, ne Terentius quidem, alioquin oratione simplicissimus, quum praeterea ex usus frequentia et exemplorum numero nihil eruere possimus, ignari, quid fors tulerit, quid loquendi ratio, ad aliud confugere necesse est, quod non multum a vero mihi videtur abesse. Satis constat, antiquis temporibus multa verba et activa et deponentium forma esse declinata, postea autem in aliis activam, in aliis deponentium formam inveterasse et usque ad auream sermonis aetatem permanisse. Idem accidisse in his verbis, de quibus agitur, casus objectorum probant. Activam formam sequebatur accusativus, deponentium sive mediorum formam ablativus. Deinde confundi coeptae sunt declinationis formae et casus objectorum. Terentii aetate consuetudo loquendi jam inclinaverat ad deponentium formam, relictis tamen vestigiis veterum structurarum, et posteriore demum aetate ablativus frequentior evasit eoque magis invaluit, quo magis forma passiva cum ablativo sive causali sive instrumentali congruere videbatur.

d) De ablativo cum verbis et adjectivis plenitudinis et inopiae sociato.

Verba et adjectiva, quae dicuntur plenitudinis et inopiae, quae in omnibus grammaticis una lege comprehendi solent, variis et fere diversis de causis ablativum assumpsisse mihi videntur. Statuo ablativum plenitudinis, qui dicitur, olim proprie fuisse causalem sive instrumentalem, ablativum inopiae fuisse localem. Primum verba plenitudinis videamus. ADr. 339 ut expleam animum gaudio? ib. 827 si cogites, remittas iam me onerare iniuriis. E. 270 plurima salute Parmenonem summum suum impertit Gnatho. A. 320 sed cesso eram hoc malo impertiri prope? Ph. 163 amore abundas, Antipho. ib. 842 o fors fortuna, quantis commoditatibus hunc onerastis diem! HT. 306 lacrumis opplet os totum sibi. HT. 527 quasi is non ditiis abundet.

Per se patet eum, qui rem aliquam aut hominem impleat aliqua re, hac re, qua impleat, uti pro instrumento. Hoc perspicuum est in toto hoc genere verborum, si activa forma efferuntur, velut: animum gaudio mihi expleo. Si passiva forma efferuntur, duplici modo rem gestam intueri possumus: si rem impletam spectamus, ea res, qua quis impleverit, causa plenitudinis apparet; si hominem spectas, qui impleverit, instrumentum videtur esse, velut: animum gaudio expletur (expletus est). Hinc facile fieri potuit, ut adjectiva quoque, in quibus inesset plenitudinis notio, cum ablativo conjungerentur. Apud Terentium duo id genus adjectiva inveniuntur, *plenus* et *satur*, quibus tamen poeta ubique genitivum objecti addit. A. 846 fauillae plena, fumi ac pollinis coquendo sit faxo, E. 318 corpus solidum et suci plenum. Hc. 848 quis me uenustatis plenior? ib. 823 vini plenum. E. 105 plenus rimarum sum. A. 412 praeceptorum plenust istorum ille. ib. 765 postquam sum intus omnium rerum satur, prodeambulare huc lubitumst. — Praeterea etiam unum verbum plenitudinis genitivum assumit: HT. 869 Ne tu propediem, ut istam rem video, istius obsaturabere.

Inopiam vero significantium verborum et adjectivorum ablativus ex ablativo locali quasi

e fonte manavit. Jam supra commemoratum est, casum ablativum prisco tempore usurpatum fuisse, quo *unde* interrogantibus responderetur eoque facilius praepositiones *ex*, *de*, *a*, quae idem significarent, cum eo conjungi potuisse. Quid igitur mirum, si aut ea verba, quibus illae praepositiones erant praefixae, i. e. talia, in quibus inerat notio abeundi et discedendi, cum ablativo conjungebantur, aut praepositiones illae, quae fortasse olim inter verbum et ablativum intercedebant (velut: exsolvere animum e curis) tamquam inutiles et supervacaneae omittebantur (velut: exsolvere animum curis)? Exempli hujus varietatis jam supra pag. 2 nonnulla attuli. Ubi semel hujus usus initium factum est, via patebat ad alium usum, ex quo verba inopiam significantia cum ablativo conjungebantur. Permultis enim verbis, quibus praepositio *ex* vel similis aliqua praefixa est, inest notio liberandi et solvendi, nec multum ab exemplis supra allatis ea, quae nunc addo, differunt: Hc. 288 sic citius, qui te expedias his aerumnis, reperias. ib. 599 et me hac suspitione exoluam. ib. 755 teque hoc crimine expedi. ib. 792 nam illas errore, et te simul suspitione exolues. ib. 820 qua re patri suspectus fuit, exolui. Ph. 823 cura sese expediuit. E. 723 hac re te omni turba euolues. Ph. 843 nos exonerastis metu. — Hc. 230 ego vos curis solui ceteris. Adr. 351 hoc me libera miserum metu.

Qui autem cura aliqua solutus et liberatus est, is ea vacat. Hinc transit sermonis consuetudo ad ea verba et adjectiva, in quibus est notio carenti. Interest quidem aliquid inter illud et hoc: vacamus enim aliqua re lubentes, caremus inviti; at, quoniam, in utroque verbo latet imago hominis ab re aliqua remoti, similis cogitatio simili forma vocabuli exprimebatur. Exempli haec habes: Ph. 682 emunxi argento senes. ib. 517 Pamphilamne hac urbe priuari sines? Hc. 663 censen te posse mulierem reperire, quae careat culpa? HT. 137 carens patria ob meas iniurias. ib. 257 propter te errans patria careo demens. A. 650 haec uirgo orbast patre.

At hic quoque mira orationis animadvertitur diversitas, quum non solum verbo *indigendi* genitivus objecti tribuatur, (Adr. 890 quasi tu huius indigeas patris), sed etiam ipsum verbum *carendi* modo genitivum assumat, (HT. 400 quod tui carendum erat), modo accusativum, (E. 223 tandem non ego illam puellam caream?). Fieri autem non potest, ut hanc sermonis inconstantiam satis quis explicet antequam genitivi saltem usum et rationem accurate exposuerit. Satis igitur sit hoc loco usum Terentianum exemplis probasse et quid de ablativo statuendum sit, divinasse; genitivi rationem alii quaerant.

e) De ablativo cum adjectivis quibusdam singularibus consociato.

Praeter adjectiva modo commemorata (ut *orbis*) haec ablativum assumunt: *contentus*, *praeditus*, *fretus*, *dignus*, *indignus*.

Vox *contentus* manifesto est participium perfecti passivi a verbo *continendi* formatum. Contineri aliqua re idem est atque acquiescere in aliqua re, nihil amplius quaerere: contentus igitur est is, qui in eo, quod habet, acquiescit. Causalem esse hunc ablativum statuo. Vide exempla: E. 122 non tu uno (viro) eras contenta. HT. 445 muliercula, quae paululo erat contenta. — Idem dici potest de voce *praeditus*. Posterior vocis pars eadem est, quae *ditus* in participiis *redditus*, *deditus*, *conditus*. Hoc tamen in judicium relinquo, utrum olim verbum

fuerit *praedere*, cujus nullum aliud vestigium relictum est, an haec vox formata sit a verbo *dandi*, praeposito adverbio *prae*, ut sit proprie *praedatus*, deinde autem *a* in *i* abierit ad similitudinem reliquorum compositorum, quae ex eodem sunt genere. Quae posterior sententia si placet, *datus* accipiendum erit pro *donatus*, et in voce *prae* praestantiae indicium inest, qua is, qui praeditus est aliqua re, prae ceteris excellit. Videtur igitur hic ablativus esse instrumentalis: at, quum omnia, quae natura perficiuntur, ad causas referre soleamus, pro causali potius accipiendus est. Unum exemplum praebet Terentius: ADr. 98 qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.

Vox *fretus* ipsa forma *prae* se fert speciem participii perfecti passivi, nec absurdum mihi videtur suspicari, priscis temporibus in usu fuisse verbum *frere* (a quo fortasse originem ducit substantivum *frenum*) quod idem fere valuerit ac *continere*, *fulcire*, *firmare* aut simile aliquid, postea autem obsolevisse. A Terentio hoc participium non nisi de hominibus adhibetur, ut sit fere *firmatus animo*, *confisus*. Non dubitaverim igitur contendere hunc ablativum esse sive causalem, sive instrumentalem; propius tamen ad causalis ablativi similitudinem accedere mihi videtur. Exempla haec sunt: Ph. 273 malitia fretus sua. HT. 24 amicū ingenio fretum, haud natura sua. ADr. 336 quouis consilio fretus sum. Ph. 966 ego vos redigam in gratiam, hoc fretus, quom e medio excessit (mater puellae). ADr. 619 hem, quo fretus sim, qui me ex tranquillissima re coniecisti in nuptias. E. 1063 quor te in his conspicio regionibus? Thr. Uobis fretus.

Adjectivi *dignus* cum ablativo conjuncti haec habes exempla: Hc. 782 in hac re nil malist, quod sit discidio dignum. ADr. 666 exitium factis dignum. E. 747 educta ita, uti teque illaque dignumst. ib. 864 non te dignum fecisti. ib. 865 nam si ego digna hac contumelia sum maxume, at tu indignus, qui faceres, tamen. A. 237 hocine illo dignumst? ib. 409 haec te indigna genere nostro admittere! Hc. 275 dignae ut uideamur malo. Ph. 373 dignum autem hoc illost. ib. 430 tuis dignum factis feceris. HT. 107 dum, quod te dignumst, facies. ib. 108 ego, quod me in te sit facere dignum, inuenero. ib. 135 malo me quouis dignum deputem, si id faciam. ib. 530 hominem pistrino dignum. ib. 687 quam ego scio esse honore quouis dignam. Hc. 209 an quicquam dignum te dici potest? Ph. 787 minus queo, quam me dignumst.

Qualis hic ablativus sit, diu dubitavi, nec quidquam adhuc inveni, quod mihi plane satisfaciat. Cogitabam antiquam hujus adjectivi formam fuisse *decnus*, deinde *e* in *i* mutatum esse, (ut in *neclegentia*), *c* in *g*, (utpote sequente littera liquida, ut in *negligentia*). Quae opinio si vera est, origo adjectivi repetenda est a verbo *decere*, quod et ipsum ablativum assumere videtur: A. 928 immo hercle, ita nobis decet. ib. 491 haec primum ut fiant, deos quaeso, ut uobis decet. Sed quum ab aliis hae formae pro dativis habeantur, ex his exemplis nihil certi erui potest. Fortasse hic ablativus pretii est index.

Eandem similitudinem sequitur *indignus*: A. 166 iusiurandum dabitur, te indignum esse iniuria hac. ib. 349 neque pretium neque rem ullam intercessisse aut me aut illa indignam. Ph. 376 absenti tibi te indignas seque dignas contumelias nunquam cessavit dicere.

f) De formula *opus est*.

Hanc locutionem cum ablativo conjungi et alias constat et his Terentii locis comprobatur. Primum locum teneant ablativi substantivorum: ADr. 32. 34 nihil istac opus est arte, sed fide et taciturnitate. ib. 446 nunc uxore opus est. ib. 723 nunc opus est tua exproptā malitia atque astutia. E. 765 nil opus est istis. ib. 770 huic ipsist opus patrono. Ph. 228 nunc ipsast opus ea, aut, si quid potest, meliore et callidiorē (sc. oratione). ib. 666 tum pluscula supellectile opus est, opus est sumptu ad nuptias. ib. 985 enimvero uocest opus. HT. 171 nil opus fuit monitore. E. 1083 mirum ni illoc homine opust. Satis sit semel notasse formulam: „quid verbis opust“, quam frequentem fuisse in sermone quotidiano, apparet ex: ADr. 165, ib. 99, E. 632, Ph. 75, ib. 100.

Multum quaesitum est, quibus rebus factum sit, ut locutio *opus est* ablativum assumeret. Credo equidem hunc ablativum simpliciter esse causalem. In ista enim loquendi formula vox *opus* nihil aliud est nisi substantivum illud notissimum tertiae declinationis. *Opus est* igitur idem valet, quod nostrum: es ist ein Werk, es geschieht ein Werk; sive, quum plerumque futuri temporis indicium in ea locutione insit, hoc significat: es wird ein Werk geschehen, eine That zu Stande kommen. Quaerentibus *qua re erit opus?* (i. e. fiet opus) respondetur ablativo causali; nec tamen magnopere adversor, si quis hunc ablativum pro instrumentali habeat, praesertim ubi hominis nomen apponitur, cui aliqua re commodum efficiatur.

Quum substantivum non praesto erat, quod huic locutioni adjungeretur (id quod saepissime accidebat, quum actione aliqua opus esse dicere volebant homines), genus neutrum participii perfecti passivi ponebatur. Ph. 1003 non opus est dicto. ADr. 490 non inperabat, quid opus facto esset puerperae. ib. 523 et quod parato opus est, para. A. 342 quapropter tacitost opus. ib. 996 plus scis, quid opus facto est. Hc. 104 non opus est proloato. Ph. 762 nunc quid opus facto sit, uide. ib. 584 plus quam opus est scito, sciet. ib. 1003 at scito huic opust. HT. 80 tibi ut opus factost, face.

Hoc participium verbi vices gerere, ex his intelligitur: Ph. 716, ADr. 715, A. 601 ita facto opus est. ADr. 728 si forte opus sit ad erum iurato mihi. Hc. 431 in arcem transcurso opus est. — Talia enim addi non potuisse, si participium pro vero substantivo positum esset, quisque facile intelliget. Hinc fieri potuit, ut idem participium in alia genera transiret: Hc. 665 iam uidete, remissan uobis opus sit, reductan domum; id quod ex eadem sermonis lege factum esse arbitror, qua gerundia in gerundiva commutantur.

Duo sunt loci, in quibus eandem locutionem supinum in *u* desinens (quod secundum grammatici dicunt) sequitur: HT. 941 ita dictu opus est. A. 740 quod maxime opus est iactu, non cadit. Haec loquendi varietas nemini, opinor, mira erit, qui reputaverit, omnia supina, maxime autem in *u* desinentia, medium quiddam tenere inter verba et substantiva. Ablativos autem ea esse nunc vel inter omnes constat, ut pluribus non sit quod demonstrem.

Pariter atque de locutione *opus est* statuendum est de locutione *usus est*: Hc. 877 an temere quicquam Parmeno praetereat, quod facto usus sit. A. 429 iubeo inspicere, quid facto usus sit. Hc. 327 non usus factost mihi hunc sequi.

Si cuiquam tota haec doctrina non probetur, nihil reliquum est, nisi ut *opus est* pro verbo inopiam significanti habeatur et comparetur cum verbo carendi.

Postremo non multum disputari necesse est de iis locis, in quibus *opus est* praedicati locum tenens adjectivi indeclinabilis vice fungitur: HT. 855 des, qui uestem atque alia quae opus sunt, comparet. Ph. 593 uenio, ut dicerem, argentum opus esse. ib. 655 mi opus erat (uxor), aliquantulum quae afferret. A. 706 ego intro eo, ut quae opus sunt, parentur. Adr. 740 quae opus fuere ad nuptias, paravi. Ph. 557 quantum opus est argenti, loquere. HT. 558 quid opus sit, uidebimus. ib. 892 sponsae aurum, uestem, ancillas opus esse. Hc. 768 nil differri patiar, quia, quod opus sit, benigne praebetur.

Ejusmodi enim res singulares in omnibus linguis inveniuntur et casu fortunae potius quam ratione ortae esse videntur. Fortasse iste usus ex iis loquendi formulis natus est, in quibus, utrum ablativus an nominativus efferretur, auditu discerni non posset, velut: Ph. 563 numquid est, quod opera mea uobis opus sit? Adr. 738 siquid est, quod mea opera opus sit uobis, manebo. ib. 704 iam hoc opus est. ib. 682 at iam hoc opus est.

#### g) De supinis in *z* desinentibus.

Has voces ablativos esse, nunc quidem non jam est, quod pluribus demonstratur. Difficilius est dictu, in quodnam ablativorum genus sint referenda. Videamus exempla: Adr. 236 hocinest factu humanum aut inceptu? Hc. 277 sed non facilest expurgatu. ib. 296 quoinis facile scitust, quam fuerim miser. Ph. 300 nil est dictu facilius. ib. 456 et turpe inceptust. HT. 704 rem inperas iustam et factu facilem. A. 275 tam ob paruolam rem paene e patria! turpe dictu.

Adjectiva igitur, quibus tale supinum adjunctum invenitur, cuncta ad iudicium hominis pertinent: aliis iudicium fertur, utrum res cum honestate congruat necne (velut *humanus, turpis*), aliis iudicatur de eo, utrum res fieri possit an non possit (ut *facilis, difficilis*). Neutrum autem iudicium proferri potest, priusquam res fiat. Incipiendo demum intelligitur, num res turpis sit aut facilis. Quae cogitatio, quamvis alioquin supervacanea additu, si prorsus eam addere volumus, aliter efferri non potest nisi ita, ut tali verborum forma utamur, quae aut causam aut tempus indicet. Exempli causa haec locutio: „res turpis est dictu“ id sibi vult: „res turpis est, si eam profero dicendo“ aut: „quum de ea loquor“ aut: „eo quod de ea loquor“. Sic in prioribus duabus loquendi formulis cogitamus de tempore, quo res fiat, in posteriore formula cogitamus de causa, qua res turpis efficiatur. In supinis igitur hisce fluctuat cogitatio inter temporis et causae imaginem; et quamquam manifesto ablativi speciem prae se ferunt, tamen dijudicari non potest, utrum temporalis ablativus is habendus sit an causalis. Idem evenit in aliis ablativis, velut: *adventu, discessu*, qui apud rerum gestarum scriptores admodum frequentes simul tempus et causam indicant. At propter id ipsum quod talis cogitatio non ita necessaria erat, talium supinorum numerus semper admodum exiguus fuit, et aurea sermonis aetate aliae loquendi formulae inventae sunt, quae idem significabant, velut: *difficilis ad iudicandum* et similia.

h) De formula *refert*.

Accedo ad locutionem *refert*, quae multum difficultatis judici exhibet. Exempla haec sunt: E. 320 mea nil re fert, dum potiar modo. A. 881 id mea minime re fert. Hc. 810 tua quod nil re fert, percontari desinas. Ph. 723 quid tua, malum, id re fert? Hc. 618 uerum tua re fert nil, utrum illaec fecerint. Et omisso verbo *refert* exit haec brevis loquendi formula: quid mea? A. 913, Hc. 510, Ph. 133, ib. 389, HT. 793. quid id nostra? Ph. 940. quid tua istaec? E. 317. quid istuc nostra? Ph. 800. sed quid ista nostra? A. 677. Quomodo haec locutio explicanda sit, jam pridem quaesitum est. Dudum autem eorum opinio explosa est, qui docebant hanc phrasim deduci posse a verbo *referendi*, quippe quae per omnes sermonis latini aetates ab iis poetis, quorum metra syllabarum quantitati fidem faciunt, producta prima syllaba efferatur. Suspicio equidem hoc verbum compositum esse ex vocibus *re* et *fert*, et illud esse ablativum substantivi *res*, hoc formam notissimam verbi *ferre*, et locutionem sic esse ortam. Ut enim aliae locutiones sunt, in quibus verbum ferendi sensu quasi intransitivo positum idem fere significat, quod *esse*, velut: opinio fert, fama fert, fors fert, et si quae sunt aliae, ita *mea re fert* erat idem quod *mea re est*; hoc autem pro consuetudinis quotidianae brevitate dictum erat pro *e re mea est*. (Formulae *ex re est* complura postea afferentur exempla, ubi de praepositione *ex* agetur.) Quae ellipsis eo facilius nasci poterat, quod ablativus per se idem significabat atque cum praepositione *ex* conjunctus. Haec opinio latini sermonis legibus nititur, et prisca significatio, quam fuisse ajo, prorsus nihil abhorret ab eo sensu, qui postea locutioni illi inerat. Quod enim non e re mea sive ex usu meo est, id non curo, sive id mea nil refert. Fleckeisenius quoque, vir doctissimus, haud scio an similiter de hac re sentiat, quippe qui in sua Terentii editione vocem *refert* constanter disjunctis syllabis (*re fert*) scripserit.

i) De formula *quid fiet?* et similibus.

Separatim hoc loco de uno verbo disserendum est, quod ex duabus analogiis duas constructiones admisit. Terentius enim dixit: „quid de me fiet vel facies?“, eodem autem sensu: „quid me fiet vel facies?“ Utriusque consuetudinis exempla haec habes: A. 996 de fratre quid fiet? ib. 611 quid nunc de me faciam? — ADr. 709 quid me fiet? ib. 937 audio, quid illo (sc. patre) sit factum. E. 837 quid illo (sc. homine) faciemus? HT. 462 quid te futurum censes, quem adsidue exedent? Hc. 668 quid faciemus puero? Ph. 137 quid te futurumst? ib. 812 illa filia amici nostri quid futurumst? HT. 317 quid illo (homine) facias? ib. 333 quid hic faciet sua (sc. amica)? ib. 715 tu fors quid me fiat parui pendis.

Prioris locutionis per praepositionem *de* formatae ratio haud difficilis est ad inveniendum. Significat enim praepositio hic idem, quod significat ubique alias, quum verbis dicendi, iudicandi, consultandi, agendi adjungitur: in *Betreff*, in *Sinnsicht*, id quod etiam magis perspicuum est in his locis: E. 607 de symbolis quid actumst? Hc. 614 de uxore incertus sum etiam quid sim facturus. Ph. 612 de Antiphone audistin quae facta? C. omnia.

At multo difficilius est dictu, quid in altero exemplorum genere solus ablativus sibi velit. Expeditissima mihi videtur esse haec explicatio. Omnes illae locutiones ad unam loquendi for-



mulam redeunt, ad formulam interrogandi et dubitandi. Qui autem tale quid de homine aut re interrogat, is animo sibi fingit rem difficilem, complicatam, omnium malorum plenam, quam quis tangere metuat, ideoque inutilem et ab omnibus relictam et desperatam: hominem vero sibi fingit ad nullam rem idoneum, nullius pretii, aliis molestum, aut malo fato circumscriptum, periculis obnoxium, ideoque quasi arbitrio libero et firma voluntate orbatum, denique non jam hominem sed rem inanimatam, quae de se nihil statuatur, sed qua alii ad suum quisque arbitrium utantur deque ea statuatur, quid fiat. Ad has cogitationes exprimendas aptissimus occurrebat casus idem, quo instrumenta indicabantur. Nec adversatur huic doctrinae locus ille: HT. 188 incertumst etiam, quid se faciat. Ea enim est hominis natura, ut secum ipse concordet et discordet, ut fluctuans inter spem metumque modo ad omnia inutilis sibi videatur, modo ad ardua omnia suscipienda paratus incedat, ut non specie sed re ipsa melior hominis pars incerta esse possit, quid viliori parte sui faciat.

k) De structuris nonnullis rarioribus.

Commemorandi sunt denique aliquot loci, quos, quum et singulare aliquid quisque in se haberet et omnibus commune aliquid esset, certo exemplorum generi supra adscribere nolebam. E. 232 stulto intellegens quid inter est? Hic discerni non potest, utrum vox *stulto* ablativus sit an dativus, quum nihil simile usquam apud Terentium reperiatur, et alio loco: A. 76 hoc pater ac dominus interest: quamquam idem verbum exstat, structura tamen non minus mirabilis sit et insolita. Nam hic item difficile est dignoscere, utrum pronomen *hoc* nominativus sit an ablativus. — Adr. 691 quibus quidem (sc. nuptiis) quam facile potuerat quiesci, si hic quiesset. Hoc in loco *quiescere* eodem sensu cum ablativo conjunctum est, quo in prosa oratione verbum *supersedendi*, nec dubium mihi est, quin hanc structuram lusus verborum potius effecerit, quam ratio sermonis. Fortasse hic ablativus vertendus est nostra locutione: von setzen, ita ut verus ablativus esse videatur. — A. 666 quid tandem (abducta virgine) illi credis animi fore misero, qui illā consuevit prior? Verbum *consuesse* praepositionem *cum* assumere plerumque, aliis exemplis probatur, sed solus ablativus in hac structura adeo rarus est apud Terentium, ne dicam inusitatus (quum aliud exemplum non exstat), ut alii hoc loco „illi consuevit prior“ legendum esse putaverint.

§. 12. De ablativo absoluto.

Ablativi, quem absolutum dicunt grammatici, ratio ab aliis aliter est explicata. De singulorum sententiis agere hoc loco alienum est. In eo tamen omnes consentiunt, hoc ablativo res admodum diversas indicari, ponique eum ad causas, tempora, instrumenta describenda; sed hoc vel pueri sentiant. Affirmant plerique eum natum esse ex ablativo temporis et propterea ad structuras absolutas eundem casum esse adhibitum. Nihil mirum quod homines docti notionem temporis praevalere in talibus structuris invenisse sibi videntur. Est enim in his locutionibus omnibus notio actionis, id quod eo probatur, quod quaevis hujusmodi structura toto enunciato reddi potest. Ad enunciata formanda autem opus est verbis, actionum vocabulis, aut adjectivis et substantivis, in quibus inest notio actionis. Atqui quae actio unquam fuit, quae non certo

tempore accideret? Num tempus est aliquid per se? et actiones aliquid per se? Imo eo tempus nascitur et sentitur, quod res geruntur et rerum gestarum spatiis tempora metimur. Ergo ne haec quidem explicatio quidquam certi affert, in quo acquiescas. Ut breviter dicam, quod sentio, in eo mihi omnes, qui de ablativo absoluto docuerunt, minus caute egisse videntur, quod omnem operam posuerunt in eo explicando, cur ad structuram absolutam ablativum potissimum adhibuerint Romani, nemo autem id quaesivit, quae tandem necessitas fuerit, ut talis structura absoluta nasceretur. Ad hanc quaestionem solvendam invenisse mihi aliquid videor. Omnia ablativorum genera, quorum vestigia in structuris absolutis inveniuntur, ablativum temporis, causae, rei accidentis sive modalem, qualitatis, supra ex duobus quasi fontibus deduxi, ex ablativo proprie dicto et locativo. Num tertius fons indagandus erit, ex quo absolutorum ablativorum genus deducatur? Quid multa? Ablativus absolutus, prout enunciati sensus fert, non specie, sed re ipsa est ablativus causae, instrumenti, rei accidentis, qualitatis. Talem autem ablativum absolutum, quo proprie tempus indicetur, non statuo, quoniam in omnibus his structuris, quae absolutae dicuntur, temporis est indicium. Nec absolutam eam verborum structuram dixerim equidem, sed egregie cum reliquis enuntiati partibus cohaerentem, siquidem indicia causarum, instrumentorum, qualitatum, rerum accidentium partes sunt necessariae cogitationis. Necessitas autem talis structurae fingendae ea fuit, quod sermo latinus magna inopia substantivorum abstractorum laborabat. Si de omnibus iis sermonis legibus, quae ex hac inopia natae sunt, fusius disputare vellem, integrum librum scribi necesse esset. Illud tamen omnibus notum est, maximam partem substantivorum abstractorum, quae noster sermo habet, latine reddi aut participiis, aut gerundiis et gerundivis, aut quovis alio vocabulorum genere, aut denique integris enunciatis. Ex eodem fonte haec, de quibus agitur, structurae manaverunt. Praemissis his, singula perscrutemur.

Ablativi qualitatis manifesto sunt hi: E. 820 uirgo conscissa ueste lacrumans obticet. HT. 672 triumpho, si licet me latere tecto abscedere. Poterat pro his dici: lacera veste, latere incolumi; at quum pro adjectivis participia inserta sint, subluet species enunciati absoluti, re vera autem nulla est.

Causales ablativos hos habes: E. 988 me impulsore haec non fecit. ib. 1013 an poenitebat flagiti, te auctore quod fecisset adolescens? A. 560 me impulsore hanc emptam esse ait. ib. 507 non me indicente haec fiunt. Ph. 74 meminere relinqui me deo irato meo. Hc. 255 peccata purgando vobis corrigemus, te iudice ipso. Adr. 181 uoluit nos sperantes iam amoto metu opprimi. A. 286 ego iam transacta re conuortam me domum. Adr. 923 Atticus quidam nauis fracta ad Andrum eiectus est. E. 762 malo nos prospicere quam hunc ulcisci accepta iniuria. A. 775 potasti, scelus, quasi re bene gesta.

Adr. 603 feci hodie, ut fierent (nuptiae), insperante hoc et inuito Pamphilo. ib. 891 domus, uxor, liberi inuenti inuito patre. A. 158 ego istam inuitis omnibus (sc. abducam). ib. 198 me inuito abduxit meam (puellam). HT. 795 num illa oppignerare filiam meam me inuito potuit? ib. 969 satius est, quam te ipso herede haec possidere Bacchidem. ib. 913 quemquamne tam animo comi esse putas, qui se uidente amicam patiatum suam (abduci)? E. 53 ubi pati non poteris, infecta pace ultro ad eam uenies indicans te amare et ferre non posse. A. 860

nam ego uitam duram, quam uixi usque adhuc, prope decurso spatio mitto. E. 956 conligauit eum miseris modis, et quidem orante, ut ne id faceret, Thaide.

In primum locorum Terentianorum fasciculum talia ablativi causalis exempla congesi, in quibus res ex causis nasci narrantur, in secundum ea, in quibus ex causis res expectatae sive speratae non nasci narrantur. Si utrumque ablativorum genus integris enunciatis reddi necesse est, illos circumscribes adhibita conjunctione *quod*, hos conjunctione *quamquam*. Idem reperitur in locutionibus *jussu et injussu*, qui ablativi manifesto sunt causales. Eorum autem similitudinem omnia illa exempla sequuntur. De hujus structurae necessitate, quam supra dixi, experiri in his aliquid licet. Pro *me impulsore* poterat dici *meo impulsu* (ut Hc. 242 ib. 687); pro *te auctore* poterat dici *auctoritate tua* (cf. Cic. de off. 3, 30, 109 „quod eorum auctoritate pax erat facta“, pro: iis auctoribus); pro *te iudice ipso* poterat dici: *judicio tuo* (cf. Cic. Brut. 8 „aluit gloriam, quam nemo meo iudicio poeta est consecutus“, et apud Terentium: *mea sententia*. A. 65, ib. 959, Ph. 335); pro *orante Thaide* poterat *oratu Thaidis* (cf. Cic. pro Flacco 37 „an etiam scripsit oratu tuo?“), si abesset enuntiatum illud secundarium: „ut ne id faceret“; nam lex est sermonis latini, ne enunciata ex singulis substantiuis pendeant. Similiter his *dei mei ira* dici poterat fortasse pro *deo irato meo*, et *naufragio pro navi fracta*. Sed quid ceteris exemplis facias, quum desint substantiva abstracta, quae pro concretis inseras? Eam igitur ob inopiam substantiva concreta vicem gerunt abstractorum. Sed si quis quaerat, qua re factum sit, ut hominum nomina (velut: orante Thaide, invito patre, invito Pamphilo, invito me, te, me impulsore, me indicente, te auctore, alia) solo ablativo efferrentur ad causas indicandas, quum ubique alias hominum nominibus, si causis indicandis inserviunt, praepositiones *propter* et *per* addantur, sic respondeo: Romanos id potius, quod cogitent, quam quae vocabulorum natura esset, respicientes in his quoque nominibus solum ablativum posuisse, quum substantiva concreta pro abstractis adhiberentur. Praeterea praecipua pars cogitationis non in rei aut hominis nomine, sed in participio vel adjectivo vel substantivo sita est, quae illi nomini apponuntur.

Instrumentales ablativi hi sunt: E. 258 concurrunt cuppedinarii omnes, quibus et re salua et perdita profueram et prosum saepe. ib. 841 apud Antiphonem uterque, mater et pater, quasi dedita opera, domi erant. ib. 166 nonne ancillulam, relictis rebus omnibus, quaesiui? Adr. 412 erus me relictis rebus iussit Pamphilum obseruare. HT. 840 mihi nunc, relictis rebus, inueniendus est aliquis, cui dem mea bona.

Locutio ea *relictis rebus* quamvis ab instrumenti notione profecta, eam tamen jam adeo exiit sensumque modalem in se recepit, ut pro ea adverbium inseri possit, velut *statim, sedulo*.

Utrum pro causali an temporali habendus sit hic ablativus: A. 870 nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab eis fero, odium: non magis discerni potest quam in loco jam supra allato: A. 110 potius quam alieniore aetate post faceret tamen. Haud scio an uterque ablativus sit qualitatis.

Restant aliquot loci, quorum ablativos re vera temporales quispiam esse credat. E. 649 nescio quid absente nobis turbatumst domi. Hc. 269 adiurat non posse apud nos Pamphilo se absente perdurare. ib. 712 id ego hoc praesente tibi nolueram dicere. Ph. 258 bonas me

absente hic confecistis nuptias. ib. 450 quod te absente hic filius egit. ib. 577 quid gnato obtigerit me absente, audistin? HT. 231 uereor, ne mulier me absente hic corrupta sit. ib. 1042 pudet dicere hac praesente uerbum turpe. ib. 280 hic sciri potuit, quo studio uitam suam te absente exegerit. Ph. 303 si quidem quisquam crederet, te uiuo. HT. 103 tibine haec diutius licere speras facere me uiuo patre? Hc. 674 nam cogis ea, quae nolo, ut praesente hoc loquar. E. 1059 si efficio hoc, postulo, ut tua mihi domus te praesente absente pateat. Hc. 62 ut quiuis posset credere, nunquam illa uiua uxorem ducturum domum. ib. 99 nunquam credidi fore, ut ille hac uiua posset animum inducere uxorem habere.

Nihilominus hos quoque ablativos causales habendos esse credo; nam pariter atque ablativi supra allati conjunctionibus *quod* et *quamquam* circumscribi possunt.

### §. 13. De aduerbiis quibusdam, quae cum ablativo cognata sunt.

Ad finem hujus opusculi rejeci adverbiorum quorundam disquisitionem, quae, quum in uniuersum de iis nonnulla disputari necesse esse mihi videretur, certo ablativorum generi adscribere nolebam.

Prodeant primum haec aduerbia formata ex praepositione et casu obscurato: *antehac* (Adr. 187, HT. 270, Ph. 4, A. 86, 250), *posthac* (Ph. 143, 1050, Adr. 26, Hc. 57), *postilla* (HT. 447, Ph. 347), *quapropter* (Hc. 311, 364, Adr. 163), *propterea* (Hc. 63, 106), *eapropter* (Adr. 959), *praeterea* (A. 224, HT. 293, Ph. 514), *interea* (Hc. 39, HT. 88, Ph. 91), *postea* (Hc. 551, 718, A. 529, 660), *antea* (Adr. 52).

Omnibus his aduerbiis id commune est, quod ex duobus uocabulis coaluerunt, quorum alterum est praepositio, alterum casus ablativus. Duo praeterea in iis sunt memorabilia, primum, quod ablativus coaluit cum iis praepositionibus, quae alias ubique accusativum assumunt; deinde, quod is ablativus forma feminina terminatur. Postremo in *quapropter* et *eapropter* praepositio, quae alias casibus praeponi solet, postposita est. Hoc autem, ut inde initium faciam explicandi, in aliis quoque praepositionibus inuenimus, uelut *te erga* (HT. 265), *se erga* (ib. 189), *te penes* (Hc. 535 culpa quae te est penes), *paulisper* (A. 253), *parumper* (Adr. 714). Apud posteros quoque usu recepta sunt *nobiscum*, *vobiscum*, cetera, *multis diebus post*, *paucis annis ante*, *qua de re*, *quamobrem*. Eam enim scribendi libertatem, quae poetis semper concessa est, hoc loco non curo. Ex his colligere posse mihi uideor, fuisse quondam tempus, quo Latini ipsi dubitarent, utrum praepositiones casibus praeponerent an postponerent; tempore autem progrediente alias praepositiones ante casus, alias post casus sedes sibi inuenisse. Femininam autem illam ablativi terminationem ita explicandam esse censeo, ut animo substantivum *res* adjiciatur. Locutiones enim *quapropter*, *eapropter*, *propterea* ita natas esse puto, ut prisco tempore simpliciter diceretur: *qua re*, *ea re*, *re ea*, (solo autem ablativo causas agendi indicatas esse, supra pag. 9 exemplis Terentianis probatum est), deinde, quum praepositionum usus augeretur et eorum auxilio cogitationum discrimina exprimi coepta essent, utrumque uocabulum iuxta positum esse, ut exiret loquendi formula *quarepropter*, *earepropter*, *proptereare*. Talium compositorum, quorum altera pars supervacanea est, non solum in sermone latino alia exempla inueniuntur (ut *paulisper*, *parumper*), sed etiam in nostro, (ut

Eidschwur, Endzweck, Endziel, buntschedig), et in graeco (ut *οικοδομεῖν οκίαν, οδοποιεῖν οδόν*). Postremo ablativus *re* ejectus est, pariter atque ablativus *via* in locutionibus *hac, recta, illa*, aliis. — Aliter evenisse credo in locutionibus *posthac, postilla, postea, antea, antehac, praeterea, interea*. Non dubito, quin in his quoque ablativus pronomini conjunctus fuerit cum substantivo *re*. Nec ablativum poni cum praepositionibus *ante, post, inter, praeter*, quemquam admiratum esse puto, qui cogitaverit, eo tempore, quo praepositionum usus frequentior esse coeperit, multas earum cum variis casibus necessario conjunctas fuisse et postea demum ad certam loquendi normam certum casum assumpsisse. Simile aliquid invenimus in adverbis *clam* et *coram*. Illud apud Terentium sequitur accusativus et ablativus; de hujus casu locis Terentianis nihil certi statui potest: ab aureae aetatis scriptoribus utriusque ablativus adjungitur. Arbitror igitur, illas voces *antea, posthac*, ceteras vestigia quasi esse et reliquias veteris usus, quo duo casus eandem praepositionem sequebantur. Cum his autem non mihi videntur conferri posse illa: *paucis diebus post* et similia, quum in hujusmodi locutionibus ablativum esse comparativum sive gradus indicem supra monstratum sit. — Similiter orta sunt omisso substantivo *via* haec adverbia: *hac* (A. 609 *hac* intro me sequere. E. 816 *hac* me sequimini. A. 280 *hac* sequere. HT. 512 *hac* illac circumcursa. ib. 743. 832 sequere *hac*), *istac* (HT. 588 *istac* abi), *illac* (HT. 512 *illac* circumcursa), *qua* (Hc. 360 quid? non sciunt ipsi uiam, domum qua ueniant? Praeterea vide copiam exemplorum pag. 26), *aliqua* (Ph. 585 uereor, ne uxor aliqua hoc resciscat mea. ib. 746 eo dixi, ne id aliqua uxor mea rescisceret. A. 283 hominem istum absolutote, ne aliqua ad patrem hoc permanet. A. 626 fieri potis est, ut ne qua exeat), *recta* (Ph. 859 *recta* domum sumus profecti. A. 433 *recta* hinc rus ibis. ADr. 600 quid causaest, quin hinc in pistrinum *recta* proficiscar uia?). Praeterea omnium horum adverbiorum copiam inuenies: A. 573—585. — Adverbium *recta* in multis locis, abjecta propria significatione, fere idem valet quod *statim, continuo*: ADr. 442 ipse eam rem *recta* reputauit uia. Hc. 372 ego eius uidendi cupidus, *recta* consequor. Ph. 112 postridie ad anum *recta* pergit. HT. 706 immo ut *recta* uia rem narret ordine omnem. — Quomodo autem haec vox induere potuerit eam significationem, non difficile est ad divinandum. Ceterum haec adverbia orta esse omisso substantivo *via*, cognoscitur ex iis locis, in quibus haec vox additur: Hc. 360, ADr. 600, ib. 442, HT. 706. reliquos vide pag. 26. In uno tamen loco: (E. 105 *hac* atque *illac* perfluo) adeo nihil haec explicatio valet, ut credam, hic adjiciendum esse substantivum *parte*.

De adverbis *illo* (Adr. 362), *quo* (Ph. 608), *aliquo* (Hc. 413), *istoc* (A. 169), *quouis* (HT. 928), *eo* (HT. 740), *istorsum* (Ph. 741), *quorsum* (Hc. 193), *porro* (Ph. 46), *intro* (A. 609) et si qua sunt similia, non est quod multa dicam. Habent quidem terminationem ablativo similem, sed prorsus nihil significant, quod ablativo significari solet. Credo igitur ea nascentia hanc formam induisse, id est, esse primitiva.

Derivatorum tamen speciem prae se ferunt haec adverbia in *o* desinentia: *oppido* (HT. 734 *oppido* inuitus. ib. 704 *oppido* iusta res. ib. 669 in *oppido* angustum cogor. Ph. 897 *oppido* liberalis. ib. 763 *oppido* iniquo animo hoc ferre eum aiunt. ib. 317 *oppido* iratus. Hc. 238 *oppido* lassus. A. 322 *oppido* opportune), *volgo* (Adr. 426 uolgo quod dici solet. HT. 421 uolgo audio dici. ib. 447 uolgo uictum quaerere. ib. 957 uolgo faciunt), *ergo* (Hc.

610), *necessario* (Adr. 632 tum coacti necessario se aperiunt), *precario* (E. 319 uel ui, uel clam, uel precario fac hanc mihi tradas), *composito* (Ph. 756 composito factum est, quo modo hanc amans habere posset), *auspicato* (Adr. 807 haud auspicato huc me attuli), *praefinito* (Hc. 94 nam illi non licebat nisi praefinito loqui), *continuo* (Hc. 350, A. 171), *perpetuo* (Hc. 406, A. 283), *tuto* (HT. 973), *sedulo* (HT. 396, ib. 126, A. 962, Adr. 679, Ph. 428, ib. 453), *liquido* (Adr. 729), *falso* (Adr. 505, Hc. 777, HT. 268), *cito* (HT. 375), *certo* (E. 825), *sero* (HT. 344), *serio* (E. 293 id uero serio triumphat. ib. 527 misit porro orare, ut uenirem, serio. HT. 541 iocō an serio ille haec dicat nescio), *raro* (Hc. 175, ib. 552).

De vocis *oppido* origine ipsi veteres nihil sani proferre poterant; non igitur est, quod nos doleamus ejus nos esse ignaros. — *Volgo* mihi videtur esse locativus: im Wolff, unter den Leuten. — *Ergo*, si deducendum est a graeco vocabulo ἐργον (in quo plerique consentiunt), causae indicium esse apparet. — *Necessario* ex loco allato patet esse ablativum causalem: potest enim pro eo inseri *necessitate*. — *Precario* manifesto est ablativus instrumentalis: potest enim inseri pro eo *precibus*. — *Composito* (nach Abmachung, Beschluß, Uebereinkunft), *praefinito* (nach Bestimmung), *auspicato* (unter günstigen Auspicien i. e. zur guten Stunde), utrum pro causalibus an instrumentalibus ablativis habendi sint, discerni non potest. — Cetera adverbialia in *o* terminata non opus est suspicari omisso aliquo substantivo suam significationem assumpsisse, velut *falso*, *sedulo*, *liquido*, *serio*, *certo*, *tuto* omissa voce *modo*; *continuo*, *perpetuo*, *sero* omissa voce *tempore*, *cito* omissa voce *cursu*. Imo consentaneum est genus neutrum adjectivorum munere fungi substantivorum abstractorum, quorum inopia sermonem latinum laborasse jam supra vidimus. Explicanda igitur sunt haec adverbialia pro solitis ablativorum significationibus: *raro*: aus sive in Seltenheit, *falso*: aus Irrthum, *sedulo*: mit Emsigkeit, *certo*: mit Gewißheit, *tuto*: mit Sicherheit, *cito*: mit Schnelligkeit, *serio*: im sive mit Ernst, *continuo* et *perpetuo*: im Zusammenhange, id est sogleich, ubi de duabus rebus sermo est, quarum altera sequitur; fortwährend, ubi de una re agitur, quarum partes inter se excipiunt, *liquido*: mit Leichtigkeit, *sero*: in der Späte, id est spät, interdum zu spät.

Adverbialia *modo* et *vero*, utrumque ablativo formatum, illud a substantivo *modus*, hoc a neutro genere adjectivi *verus*, si vellem per omnes significationes persequi, alter paene libellus mihi esset scribendus. Ne tamen rem prorsus neglexisse viderer, et ut eorum commodis inservirem, qui hoc argumentum tractandum suscepturi essent, exemplorum Terentianorum sedes notavi. *vero*: Adr. 91, 186, 206, 207, 337, 596, 755, 848, 855, 917, 926, E. 34, 89, 288, 299, 329, 391, 393, 402, 576, 591, 606, 623, 634, 675, 685, 687, 803, 861, 894, 908, 930, HT. 244, 320, 1045, 520, 591, 612, 638, 692, 766, 930, 944, Ph. 110, 287, 435, 465, 528, 558, 936, 937, 985, 1036, 1047, Hc. 250, 306, 335, 403, 461, 626, 673, 726, A. 255, 267, 268, 395, 405, 435, 469, 644, 717, 754, 902, 925, 975. *modo*: Hc. 365, 436, 458, 468, 582, 785, 830, A. 87, 187, 202, 205, 280, 299, 365, 386, 399, 423, 507, 538, 560, 563, 645, 835, 842, 845, 982, Adr. 173, 202, 252, 302, 353, 409, 594, 612, 618, 630, 685, 855, 882, 899, E. 65, 185, 282, 309, 323, 344, 372, 454, 497, 698, 714, 724, 766, 890, 1003, 1050, 1073, HT. 188, 314, 343, 466, 563, 617, 641, 731, 774, 901, 981, Ph. 59, 68,

93, 95, 109, 143, 149, 197, 221, 420, 496, 566, 624, 670, 711, 773, 859, 865, 938, 951, Hc. 76, 97, 208.

Adverbium *principio* formatum est a substantivo *principium* et differt a similibus loquendi formulis *a principio* (von Anfang an), et *in principio* (am, im Anfange). Significat enim ubique: zuerst, vor allem Andern, erstens, jubetque expectari aliud quid, quod postea narretur aut fiat. ADr. 327 obsecro, principio ut ne ducas (uxorem). ib. 570 at, si corrigitur, quot commoditates uide: principio amico filium restitueris. E. 805 quid cum illa rei tibist? Ch. scibis: principio eam esse dico liberam. ib. 1069 prius audite paucis: quod si placuerit, facitote. Principio ego uos credere ambos uolo me id facere mea causa. ib. 1078 magis ex usu tuo nemo est: principio et habet, quod det, et dat nemo largius. Hc. 381 hanc habere orationem mecum principio institit. — Simili sensu sunt aduerbia *primo*: (Hc. 120 ille primo se negare. sed postquam acrius pater instat, fecit —) et *postremo*: (HT. 113, Ph. 421), utrumque a genere neutro adiectivorum *primus*, *postremus* formatum. Sensus est: zuerst, zuletzt.

Adverbium *una* omisso substantivo *via* ortum esse, pro uero affirmaverim, etsi nulli apud Terentium loci inveniuntur, in quibus hoc substantivum additur. Sed suspicari licet hanc originem ex his locis: E. 702 post una ambo abierunt foras. HT. 191 nunc seruolum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum. — In reliquis autem locis significatio ejus ea est, ut de hac origine non jam cogites: A. 495 una semper fuimus. ib. 496 paupertatem una perulimus grauem. Hc. 322 non poteram una omnia (sc. dicere). ib. 326 perisse me una haud dubiumst. ib. 207 itaque una inter nos agere aetatem liceat. Ph. 809 una omnes uos scire uolo —. HT. 294 praeterea una ancillula erat: ea texebat una. ib. 684 Cl. o mi Syre, audisti obsecro? S. quid ni? qui usque una adfuerim. A. 16 nam quod isti dicunt maleuoli, homines nobilis eum adiutare adsidueque una scribere, eam laudem hic ducit maxumam. E. 211 ego quoque una pereo. ib. 373 cibum una capias, adsis, tangas, ludas. ADr. 924 Atticus olim naui fracta ad Andrum eiectus est, et istaec una parua uirgo.

Citentur denique aduerbia nonnulla per praepositiones formata. Primum per *de*: *de inproviso*: ADr. 359 de inproviso nuptiae. ib. 417 quasi de inproviso respice ad eum. A. 407 interuenit homo de inproviso. ib. 610 hocine de inproviso mali mihi obici tantum, ut —. Ph. 884 tantam fortunam de inproviso esse his datam. HT. 281 ubi de inprovisost interuentum mulieri. *de integro*: ADr. 26 posthac faciet de integro comoedias. Ph. 174 quoi de integro est potestas consulendi. HT. 674 ratio de integro ineundast mihi. *denuo* (= *de novo*): E. 691 iube mi denuo respondeat. Hc. 38 refero denuo (fabulam). Ph. 879 cum patre idem recipit se intro denuo. HT. 543 an dum hinc denuo abeat, —? ib. 808 metuo ne denuo miser aliquo extrudar hinc. *desubito*: HT. 673 bolum mihi tantum ereptum tam desubito e faucibus. *derepente*: Hc. 554 si is posset ab ea sese derepente auellere —. *de industria*: ADr. 795 paulum interesse censes, ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de industria. Inest in his locutionibus imago proficiscendi ab aliqua re, plane ut in nostris: von neuem, von frischem, von vorne (wieder anfangen), von selbst et si qua sunt alia. Quum autem proficiscendi imago in solo ablativo inesset, nonnulla horum adverbiorum etiam sine praepositione ponebantur, uelut: *inproviso*: (Caes. bell. gall. I, 13. quod inproviso unum pagum adortus

esset.) *subito*: Ph. 180 ita nunc inparatum subito tanta te inpendent mala. Ph. 842 quam subito Antiphoni commoditatibus hunc onerastis diem! *repente*: Hc. 356 an dolor repente inuasit? A. 984 quae res tam repente mores mutavit tuos? Ceterum hi ablativi *subito* et *repente* similiter explicandi mihi videntur esse, atque *tuto*, *certo*, cetera. Verto igitur: mit sive in Möglichkeit, id est plöglich. — Per *in* formata est vox *illico*, in qua praepositio cum casu (*loco*) coaluit, vocali *o* in *i* mutata: Hc. 332, A. 176, cet. Significatio vocis est plane nostrum: auf der Stelle, auf dem Fleck, i. e. sogleich. Per *pro* formatum est *profecto*, i. e. *pro facto*, sive *pro re vera*. Conferas: ADr. 554, 702, E. 184, 381, 396, 507, 551, 649, alia. — Quid de origine et significatione formulae *exemplo* (Hc. 373, ADr. 517) statuendum sit, etiamnum dubito; attamen in eorum magis inclino sententiam, qui ab *ex* et substantivo *templum* originem traxisse eam affirmant.

Adverbia *ideo*, *adeo*, *idcirco*, quorum mira est inter se similitudo, diversa tamen origine mihi orta esse videntur. Syllaba *id* in vocibus *ideo*, *idcirco* est neutrum genus pronominis *is*. In *ideo* autem *eo* est ablativus ejusdem generis, causali sensu: bis deswegen; in *adeo* contra *eo* est vetus adverbium locale (dorthin), *ad* praepositio illa notissima, ita ut *is* sit vocis sensus: bis dahin, bis zu dem Grade, id quod interdum est ja, sogar. *Circo* autem mihi videtur vetus ablativus vocis *circum*, quae nunc quidem praepositio est, olim autem haud dubie nescio quid adjectivi habebat, quum ex eodem fonte vox *circa*, feminina quasi forma, manaverit. Sensus igitur est aut: bis deswegen, aut: um dieses (wissen). Exempla vide haec: *ideo*: Hc. 218. *adeo*: ADr. 120, 415, Hc. 396, 457, A. 221, 629. *idcirco*: HT. 519, ADr. 690.

Adverbium *tantopere*, quod Fleckeisenius constanter scribit *tanto opere*, manifesto est origine ablativus causalis sive instrumentalis, et significat fere idem quod *tanta opera*, i. e. *tanto labore* sive *summa vi*. HT. 786 quia dudum tu tanto opere suaseras, eo coepi. Hc. 530 demiror quid sit quam obrem tanto opere omnis nos celare volueris partum. — At sensim haec locutio, ut similes ablativi (velut: dolo, consilio, vi, sponte) in adverbium abiit, ut significaret: *vehementer*, *maximè*: Ph. 909 omnis posthabui res, postquam tanto opere id vos uelle animum aduorteram. Hc. 283 hacine causa ego eram tanto opere cupidus redeundi domum! A. 592 ego in hac re nil reperio, quam obrem lauder tanto opere. ib. 945 si vos tanto opere istuc uoltis, fiat.

Adverbium *magnopere*, apud alios scriptores passim obvium, et disjunctis vocibus, ex quibus conflatum est, originem prodens (*magno opere*), apud Terentium non inveni, sed gradu superlativo dictum non raro apud eundem reperitur, velut: E. 532 Thais maximo te orabat opere, ut —. Ph. 760 quod nos ambo opere maximo dabamus operam, ut —. HT. 626 meministi mihi te maximo opere edicere —?

Haec habebam, quae de adverbiiis dicerem. De ea re autem excusatione non opus esse arbitror, quod non omnia horum adverbiorum exempla apud Terentium conquisivi. Alias ubique omnes locos colligere mihi religio fuit, neque ullum neglectum esse legentes invenient.

Dr. Heinrichs.





610), *necessario* (clam, uel precario f hanc amans habere (Hc. 94 nam illi ne 406, A. 283), *tuto liquido* (Adr. 729), (HT. 344), *serio serio*. HT. 541 io

De vocis opp nos doleamus ejus teuten. — *Ergo*, causae indicium es potest enim pro e potest enim inseri *praefinito* (nach 2 utrum pro causalib adverbia in o term assumpsisse, velut *perpetuo*, *sero* or neutrum adjec inopia sermonem pro solitis ablativo *sedulo*: mit Emft *serio*: im sive m duabus rebus serm quarum partes inte interdum zu spät.

Adverbia me neutro genere adje mihi esset scriber inservirem, qui l sedes notavi. *ver* 288, 299, 329, 39 930, HT. 244, 32 528, 558, 936, 9 267, 268, 395, 4 468, 582, 785, 8 563, 645, 835, 8 855, 882, 899, 1003, 1050, 1073

unt), *precario* (E. 319 uel ui, uel 56 composito factum est, quo modo aspicato huc me attuli), *praefinito* (Hc. 350, A. 171), *perpetuo* (Hc. A. 962, Adr. 679, Ph. 428, ib. 453), *sero* (HT. 375), *certo* (E. 825), *sero* 527 misit porro orare, ut uenirem, *sero* (Hc. 175, ib. 552).

erre poterant; non igitur est, quod esse locativus: im Volk, unter den *ἐργω* (in quo plerique consentiunt), illato patet esse ablativum causalem: manifesto est ablativum instrumentalis: Abmachung, Beschluß, Uebereinkunft), in Auspicien i. e. zur guten Stunde), sint, discerni non potest. — Cetera quo substantivo suam significationem *tuto* omissa voce *modo*; *continuo*, *sero*. Imo consentaneum est genus ivorum abstractorum, quorum Explicanda igitur sunt haec adverbia in *Seltenheit*, *falso*: aus Irrthum, *sero*: Sicherheit, *cito*: mit Schnelligkeit, *sero*: zusammenhänge, id est sogleich, ubi de fortwährend, ubi de una re agitur, *sero*: in der Späte, id est spät,

n, illud a substantivo *modus*, hoc a icationes persequi, alter paene libellus se viderer, et ut eorum commodis essent, exemplorum Terentianorum 755, 848, 855, 917, 926, E. 34, 89, 675, 685, 687, 803, 861, 894, 908, 930, 944, Ph. 110, 287, 435, 465, 5, 403, 461, 626, 673, 726, A. 255, 5, 975. *modo*: Hc. 365, 436, 458, 365, 386, 399, 423, 507, 538, 560, 353, 409, 594, 612, 618, 630, 685, 454, 497, 698, 714, 724, 766, 890, 41, 731, 774, 901, 981, Ph. 59, 68,

